Copyright: Admont, Benediktinerstift

solebat in facie. Nunc euangelii quisque predicator ita debet in ecclesia laborare ut defuncto fratri id est Christo suscitet semen. qui pro nobis mortuus est. et quod suscitatum fuerit. eius nomen accipiat. Dicitur namque quod electus ab ecclesia ministerium euangelizandi renuit. ab ipsa ecclesia digne meritoque contemptus est. Qui enim et sibi prodest et ecclesie. bene intelligitur utroque pede calciatus. Unde illud: quam speciosi pedes euangelizantium bona. Qui autem curam lucrandorum refugit aliorum. discalciati illius non figuratum significauit. sed in se impletum portauit obprobrium. ~~Item breui in registro.~~

Locus regiminis sic desiderantibus est negandus. ita fugientibus est offerendus. S. i. q. vi. Sic is.

In scriptis uestris uos magnopere regimen quesisse narratis. sed per hoc ad pastoralem sollicitudinem uos congrue uenisse ostenditis. Quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est. ita fugientibus offerendus est. et sicut scriptum est. nec quisquam sumit sibi honorem. sed qui uocatur a deo tamquam aaron. Et rursus idem egregius predicator dicit. Si unus pro nobis omnibus mortuus est. ergo omnes mortui sunt. et pro omnibus Christus mortuus est. superest ut qui uiuunt. non iam sibi uiuant. sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Et pastori sancte ecclesie dicitur: Symon iohannis diligis me? Pasce oues meas. Ex quibus uerbis colligitur. quia si is qui ualet omnipotentis dei oues renuit pascere. ostendit se pastorem summum minime amare. Si enim unigenitus patris pro explenda utilitate omnium. de secreto patris ad publicum nostrum egressus est. nos quid dicturi sumus si secretum nostrum preponimus utilitati proximorum. Quies itaque nobis et ex corde appetenda est. et tamen multorum plus aliquando proficit ponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere. ita predicte occupationis onus libenti necesse est humero subire. Quod ex duorum prophetarum opere docemur. quorum unus predicationis officium uitare conatus est. et alter appetiuit. Nam mittenti se domino Ieremias respondit dicens. a. a. a. domine deus nescio loqui. quia puer ego sum. Et cum omnipotens deus personam quereret ad predicandum dicens. quem mittam et quis ibit nobis? ultro se ysayas obtulit dicens. Ecce ego mitte me. Ecce ab utrisque exterius diuersa uox prodiit. sed non a diuerso fonte dilectionis emanauit. Duo sunt quippe precepta caritatis. amor dei et proximi. Per actiuam igitur uitam prodesse proximis cupiens esayas. officium predicationis appetiit. per contemplatiuam uero ieremias amori sui conditoris inherere desiderans sedule